

omnia specularetur & perscrutaretur ante. Et, cum fossam latam cubiculari lecto circumdedit, ejusque fossae transitus ponticulus ligneo conjunxit: eum ipsum, cum forem cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque cum in communibus suggestis confistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. Atque is cum pila ludere vellet, (studiose enim id facilitabat) tunicamque poneret, adolescentulo, quem amat, tradidisse gladium dicitur. Hic cum quidam familiaris jocans dixisset: *Huius quidem certe vitam tuam committis*: arrisieratque adolescentis: utrumque jussit interfici: alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui; alterum, quia id dictum risu approbabisset. Atque eo facto sic doluit, ut nihil gravius tulerit in vita. Quem enim vehementer amarat, occiderat. Sic distractarunt in contrarias partes impotentium cupiditates. Cum huic obsecutus sis, illi est repugnandum. Quanquam hic quidem tyrannus ipse judicavit²⁸ quam esset beatus.

XXI. Nam cum quidam ex ejus assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam adiunctorum regiam; negaretque unquam beatorem quemquam suscipe: *Vifne igitur*, inquit, *o Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam?* Cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in auro lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto: abacosque complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximiam formâ pueros delectos jussit confistere, eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. Adorant unguenta, corona: incendebantur odores: mensa conquisitissimis epulis exstribabantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, e lacunari feta equina aptum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministritores adspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in mensam: jam ipse defluebant corona: denique exoravit tyran-

²⁸ *Judicavit*] Ita Victorius, Gruterus; Bentlejus. Wopkenius: sed, inservit, Man. Lamb.

tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Sa-risne videtur declarasse Dionylius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquid terroris impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigaret, civibusque libertatem & jura redderet: iis enim se adolescentis improvisa ætate irreterierat erratis, eaque commiserat, ut salvus esse non posset, si fanus esse coepisset.

XXII. Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat, declaravit in Pythagoreis²⁹ duobus illis: quorum cum alterum vadem mortis accepisset; alter, ut vadem suum liberaret, præsto fuisset ad horam morti destinatam: *Utinam ego*, inquit, *tertius vobis amicus adscriberer!* Quam huic erat miserum, carere confuetudine amicorum, locutus viatus, sermone omnino familiari! homini præfertim docto a puero, & artibus ingenuis eruditio. Musicorum vero per studiorum accepimus, poetam etiam tragicum: quam bonum, nihil ad rem. In hoc enim genere nescio quo pacto magis, quam in aliis, suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi poetam, (& mihi fuit cum Aquinio³⁰ amicitia) qui sibi non optimus videretur. Sic se res habet. Te tua, me delectant mea. Sed, ut ad Dionysium redeamus; omni cultu & vietu humano carebat: vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris: neminem, qui aut libertate dignus esset, aut vellet omnino liber esse, sibi amicum arbitrabatur. Non ego jam cum hujus vita, qua tetricus, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytæ vitam comparabo, doctorum hominum & plane sapientium.

XXIII. Ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere³¹ & radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem.

Tom. II.

P P P Cujus

²⁹ In Pythagoreis] Vide lib. III. de Officis cap. 10.

³⁰ Aquinus] Aut, quod melius, Aquino, ut in altero est codice Lugdunensi. Confessum Catullianorum Carminum exempla omnia Epigr. XIV. Habent enim omnia Aquinus, quam vocem exigit verius; alteram Aquinum respuit: Neque video quid fuerit, cur explicatores Catullum e Cicerone ma-

luerint, quam e Catullo Ciceronem emendare. Poruit Aquinus nomen esse Romanæ alicuius familie, ut Crispinus, Silvius &c. Baberius.

³¹ A pulvere & radio] Mathematicis studiis deditum. Locutionis ratio est, quod radio sit instrumentum, quo geomoris in mensa, pulvere conferia, ex qua sua describere, moris erat. Dovifus.

Cujus ego quæstor ignoratum ab Syracusanis , cum esse omnino negarent , septum undique & vestitum veribus & damente indagavi sepulcrum . Tenebam enim quosdam senariolos , quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam : qui declarabant , in summo sepulcro sphæram esse positam cum cylindro . Ego autem , cum omnia collustrarem oculis , (est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulrorum) animadvertis columellam non multum e dumis eminentem : in qua inerat sphæra figura , & cylindri . Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi , me illud ipsum arbitrari esse , quod quererem . Immissi cum falibus multi purgarunt & aperuerunt locum . Quo cum patescens esset aditus , ad adversam basim accessimus . Apparebat epigramma ex his posterioribus partibus versiculorum , dimidiatis fere . Ita nobilissima Gracia civitas , quandam vero etiam doctissima , sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset , nisi ab homine Arpinate didicisset . Sed redeat unde aberravit oratio .

Quis est omnium , qui modo cum misis , id est , cum humanitate & cum doctrina habeat aliquid commercium , qui se non hunc mathematicum malit , quam illum tyrannum ? Si vita modum actionemque quærimus : alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur , cum oblectatione solertia ; qui est unus suavissimus pastus animorum : alterius cæde & injuriis , cum & diurno & nocturno metu . Age , confer Democritum , Pythagoram , Anaxagoram . Quæ regna , quas opes studiis eorum & delectationibus antepones ? Etenim quæ pars optima est in homine , in ea situm esse necesse est illud , quod queris , optimum . Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius ? Ejus bono fruendum est igitur , si beati esse volumus . Bonum autem mentis est virtus . Ergo hac beatam vitam contineri necesse est . Hinc omnia , quæ pulchra , honesta , præclara sunt , (ut supra dixi : sed dicendum idem illud paulo uberiori videtur) plena gaudiorum sunt . Ex perpetuis autem plenisque gaudiis cum perspicuum sit vitam beatam existere , sequitur ut ea existat ex honestate .

XXIV. Sed

XXIV. Sed , ne verbis solum attingamus ea , quæ volumus ostendere , proponenda quædam quasi moventia sunt , quæ nos magis ad cognitionem intelligentiamque convertant . Sumatur enim nobis quidam præstans vir optimis artibus , isque animo parumper & cogitatione fingatur . Primum ingenio eximio sit necesse est . Tardis enim mentibus virtus non facile * comitatur . Deinde ad investigandam veritatem studio incitato . Ex quo triplex ille animi foetus existet : unus in cognitione rerum positus , & in explicazione naturæ : alter in ^ descriptione expetendarum fugiendarumve rerum : tertius in judicando , quid cuique rei sit consequens , quid repugnans : in quo inept omnis tum subtilitas differendi , tum veritas judicandi .

Quo tandem igitur gaudio affici necesse est sapientis animum , cum his habitantem pernoctantemque curis ? Ut , cum totius mundi motus conversionesque perfexerit , fideraque videbit innumerabilia cælo inhærentia cum ejus ipsius motu congruere certis infixa sedibus ; septem alia suos quæque tenere cursus , multum inter se aut altitudine aut humilitate distantia , quorum vagi motus rata tamen & certa sui cursus spatia definiant . Horum nimirum adspicetus impulit illos veteres & admonuit , ut plura quererent . Inde est indagatio nata initiorum & tanquam seminum , unde essent omnia orta , generata , concreta : quæque cujusque generis vel inanimi , vel animantis , vel muti , vel loquentis origo , quæ vita , qui interitus , quæque ex alio in aliud viciſſitudo atque mutatio : unde terra , & quibus librata ponderibus , quibus cavernis maria b sustineat : in qua omnia delata gravitate medium mundi locum semper expertant , qui est idem infimus in rotundo .

XXV. Hæc tractanti animo , & noctes & dies cogitanti existit illa a deo Delphis præcepta cognitione , ut ipsa se ^ mens agnoscat , conjunctamque cum divina mente se sentiat : ex quo infatibili gaudio compleatur . Ipsa enim cogitatio de vi & natura deorum , studium incendit illius aeternitatis imitan- dæ : neque se in brevitate vita collocatam putat , cum rerum

P P 2 cau-

* Man. Lamb. committitur
▲ Vici. disforetione

b Man. subfigentur
c Man. Lambi mens viiiij exutane cognoscere

484 causas alias ex aliis aptas & necessitate nexas videt . Quibus ab aeterno tempore fluentibus in aeternum ratio tamen mensque moderatur .

Hac ille intuens atque suspiciens , vel potius omnes partes oraque circumspiciens , quanta rursus animi tranquillitate humana & ceteriora considerat ? Hinc illa cognitio virtutis existit : efflorescent genera , partesque virtutum : inventur , quid sit , quod natura spectet extrellum in bonis , quod in malis ultimum , quo referenda sint officia , qua degendas atatis ratio diligenda . Quibus & talibus rebus exquisitis hoc vel maxime efficitur , quod hac disputatione agimus , ut virtus ad beatu vivendum sit se ipsa contenta .

Sequitur tertia , qua per omnes partes sapientiae manat & funditur , qua rem definit , genera dispartit , sequentia adjungit , perfecta concludit , vera & falsa dijudicat , differendi ratio & scientia : ex qua cum summa utilitas existit ad res ponderandas , tum maxime ingenua delectatio , & digna sapientia . Sed hæc otii . Transeat idem iste sapiens ad rem publicam tuendam . quid eo possit esse præstantius , cum prudenter utilitatem civium cernat , justitia nihil in suam domum inde derivet , reliquis utatur tot tam variisque virtutibus ? Adjunge fructum amicitiarum : in quo a doctis postum est cum consilium omnis vita consentiens & pane confiprancs , tum summa jucunditas et quotidiano cultu atque victu . Quid hæc tandem vita desiderat , quo sit beatior ? cui reserta tot tantisque gaudiis fortuna ipsa cedat necesse est . Quod si gaudere talibus bonis animi , id est virtutibus , beatum est , omniesque sapientes iis gaudiis perfruuntur : omnes eos confiteri beatos esse necesse est .

XXVI. AUD. Etiamne in cruciatu , atque tormentis ? MAR. An tu me in viola putabas , aut in rofa dicere ? An Epicuro , qui tantummodo induit personam philosophi , & sibi ipse hoc nomen inscripti , dicere licet , (quod quidem , ut habet ³² se res , me tamen plaudente dicit) nullum sapienti

³² Ut habet se res , me tamen plaudente ut ut habet se res ; me tamen ; hoc est , dicit .] Sententia non recte procedit . Lege , cumque habet se res , quamvis non confit fi

pienti esse tempus , et si uratur , torqueatur , fecetur , quin posset exclamare , *Quam pro nibilo puto !* cum præstatum omne malum dolore definiat , bonum voluptate : hæc nostra , honesta , turpia , irrideat ; dicatque , nos , in vocibus occupatos , inanes sonos fundere ; neque quidquam ad nos pertinere , nisi quod aut leve aut alperum in corpore sentiatur . Huic ergo , ut dixi , non multum differenti a judicio ferarum , obliuisci licet it ? & tum fortunam contemnere , cum sit omne & bonum ejus & malum in potestate fortunæ : tum dicere , se beatum in summo cruciatu atque tormentis , cum constituerit non modo , summum malum esse dolorem , sed etiam solum ? Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem , firmitatem animi , turpitudinis verecundiam , exercitationem consuetudinemque patiendi , præcepta fortitudinis , dutitiam virilem : sed una se dicit recordatione acquiescere præteritarum voluptatum : ut si quis asthmas , cum vim caloris non facile patiatur , recordari velit , se aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse . Non enim video , quo modo sedare possint mala præsentia præterita voluptates . Sed cum is dicat semper beatum esse sapientem ; cui dicere hoc , si sibi constare vellet , non licet : quidnam faciendum est iis , qui nihil expetendum , nihil in bonis ducendum , quod honestate careat , existimant ? Me quidem auctore etiam Peripateticæ , veteresque Academicæ balbutire desinant aliquando , aperteque & clara voce audeant dicere , beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram .

XXVII. Sint enim tria genera bonorum , ut jam a laqueis Stoicorum , quibus usum me pluribus quam soleo , intelligo , recedamus . Sint sane illa genera bonorum , dum corporis & externa jaceant humili , & tantummodo , quia surmunda sunt , appellantur bona . Alia autem illa divina longe lateque se pandant , cælumque contingant : ut ea qui adeptus fit , cursum beatum modo , & non beatissimum etiam dixerim ? Dolorem vero sapiens extimescit ? Is enim huic maxime sententia

bi ipse , sed sua dignata evertat . Terent . portuit . Phorm . III . 2 . Sed ut ut hæc sunt , Haut . I . 2 . Ut ut erat , manum tamen o- tamen hoc faciam , Bentlejus .

tiæ repugnat. Nam contra mortem nostram atque nostrorum, contraque ægritudinem & reliquas animi perturbationes satis esse videmur superiorum dierum disputationibus armati & parati. Dolor esse videtur acerrimus virtuti adverfarius. Is ardentes facies intentat: is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur. Huic igitur succumbet virtus? huic beata sapientis & constantis viri vita cedet? Quam turpe, o dii boni! Pueri Spartiata non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedæmoni vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, mortui denique; ut examinarentur, priusquam se viatos faterentur. Quæ barbaria India vastior, aut agrestior? In ea tamen gente primum ii, qui sapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore: cumque ad flammam se applicaverint, sine gemitu aduruntur. Mulieres vero in India, cum est cujusvis eorum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit. Plures enim singulis solent esse nuptæ. Quæ est viætrix, ea lata, prosequentibus suis, una cum viro in rogam imponitur: illa viæ³³, moesta discedit. Nunquam naturam mos vinceret: est enim ea semper invicta. Sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus: opinionibus, maloque more delinitum mollivimus. Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent: quorum etiam si imprudentes quippiam fecerint, poenam nullam recusent.

De hominibus loquor. Quid bestiæ? non frigus, non famem, non montivagos atque silvestrēs cursus, iustrationesque patiunt-

³³ Illa viæ moesta discedit.] Bentlejus iudeo legendum putat illa viæ moesta discedunt, quia Cicero dixerat paulo ante, plures anguis solent esse nuptæ. Sed voces illa viæ idem significant quod quacunque ex illis est viæ, five illæ fini duæ, five plures. Vox illa in hujusmodi locutionibus vim habet pluralis numeri: ut iff II. 15. Vide-

mus ... rudem illum & inexercitatum, quamvis leviter itum, ploras turpissimos edere. Sic etiam in Quintil. Inst. Or. I. 3. Probus quoque in primis erit ille ingeniosus: & ib. probus ab illo segni & jacente multum servit. Paeirus. Vide Proprietum, III. Eleg. XL. 15.

patiuntur? Non pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipient? nullos impetus, nullos ictus reformident? Omitto, quæ perferant quæque patiantur ambitiosi, honoris causa: laudis studiosi, gloriæ gratia: amore incensi, cupiditatis. Plena vita exemplorum est. Sed adhibeat oratio modum, & redeat illuc, unde deflexit.

XXVIII. Dabit, dabit, inquam, se in tormenta vita beata: nec iustitiam, temperantiam, in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam profecta, cum tortoris os viderit, consuet: virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores (ut ante dixi) limenque carceris. Quid enim ea foedius, quid deformius sola relicta, comitatul pulcherrimo segregata? Quod tamen fieri nullo pacto potest. Nec enim virtutes sine beata vita cohærente possunt, nec illa sine virtutibus. Itaque eam tergiversari non sinent, secumque rapient, ad quemcumque ipse dolorem cruciatumque ducentur. Sapientis est enim proprium, nihil, quod peccare possit, facere, nihil invitum, splendide, constanter, graviter, honeste omnia: nihil ita expectare, quasi certo futurum: nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur: omnia ad suum arbitrium referre: suis stare judicis. Quo quid sit beatus, mihi certe in mentem venire non potest.

Stoicorum quidem facilis conclusio est. Qui cum finem bonorum esse senferint, congruere natura, cumque ea convenienter vivere: cum id sit in sapiente fitum; non officio solum, verum etiam potestate: sequatur necesse est, ut cuius in potestate summum bonum, in ejusdem vita beata sit: ita sit semper vita beata sapientis. Habes, qua fortissime de beata vita dici putem, &, quo modo nunc est, nisi quid tu melius attuleris, etiam verissime.

XXIX. AUD. Melius quidem afferre nihil possum: sed a te impetrarim libenter, ut, nisi molestum sit, quoniam te nulla vincula impediunt ullius certæ disciplinae, libasque ex omnibus, quodcumque te maxime specie veritatis movet: quod paulo ante Peripateticos veteremque Academiam hortari

ri videbare , ut sine retractatione libere dicere auderent , sapientes esse semper beatissimos ; id velim audire , quemadmodum his putas consentaneum esse id dicere . Multa enim a te contra istam sententiam dicta sunt , & Stoicorum ratione conclusa .

MAR. Utamur igitur libertate , qua nobis solis in philosophia licet uti : quorum oratio nihil ipsa judicat , sed habetur in omnes partes ; ut ab aliis possit ipsa per se , nullius auctoritate adjuncta , judicari . Et quoniam videris hoc velle , ut quæcumque dissentientium philosophorum sententia sit definibus , tamen virtus satis habeat ad vitam beatam præsidii , quod quidem Carneadem disputare solitum accepimus , sed is , ut contra Stoicos , quos studiosissime semper refellebat , & contra quorū disciplinam ingenium ejus exarferat ; nos illud quidem cum pace agemus . Si enim Stoici fines bonorum recte posuerunt ; confessā res est : necesse est semper beatum esse sapientem . Sed quæramus unamquamque reliquorum sententiam , si fieri potest , ut hoc præclarum quasi decretum beatæ vitæ possit omnium sententiis & disciplinis convenire .

XXX. Sunt autem hæ de finibus , ut opinor , retenta defensæ sententia : primum simplices quatuor : Nihil bonum , nisi honestum , ut Stoici : Nihil bonum , nisi voluntatem , ut Epicurus : Nihil bonum , nisi vacuitatem doloris , ut Hieronymus : Nihil bonum , nisi naturæ primis bonis aut omnibus aut maximis frui , ut Carneades contra Stoicos differebat . Hæc igitur simplicia . Illa mixta . Triā genera bonorum , maxima animi , secunda corporis , externa tertia , ut Peripateticī . nec multo veteres Academicī fecus . Voluptatem cum honestate ^a Dinomachus & Callipho copulavit . Indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adjunxit . Hæc sunt sententiaz , quæ ^b stabilitatis aliquid habeant : nam Aristonis , Pyrrhonis , Herilli , nonnullorumque aliorum evanuerunt .

Hi quid possint obtinere videamus , omisis Stoicis : quorum satis videoꝝ defendisse sententiam . Et Peripateticorum quidem explicata causa est : præter Theophrastum , & , si qui illum secu-

^a Man. Lamb. Clitemachus

^b Man. subtilitas

secuti , imbecillius horrent dolorem & reformidant . Reliquis quidem licet facere id quod sere faciunt , ut gravitatem dignitatemque virtutis exaggerent . Quam cum ad calum extulerint , quod facere eloquentes homines copiose solent : reliqua ex collatione facile est conterere , atque contemnere . Nec enim licet iis , qui laudem cum dolore petendam esse dicunt , negare , eos esse beatos , qui illam adepti sunt . Quanquam enim sint in quibusdam malis : tamen hoc nomen beati longe & late patet .

XXXI. Nam ut quæstuoſa mercatura , fructuosa aratio dicitur , non si altera semper omni damno , altera omnis tempeſtatis calamitate semper vacet , sed si multo majore ex parte extat in utraque felicitas : sic vita , non solum si undique reserta bonis est , sed si multo majore & graviore ex parte bona propendit , beata recte dici potest . Sequetur igitur , horum ratione , vel ad supplicium beata vita virtutem , cumque ea descendat in taurum , Aristotele , Xenocrate , Speusippō , Polemone auctoribus , nec eam ³⁴ minimis blandimentis corrupta deseret . Eadem Calliphontis erit , Diodorique sententia : quorum uterque honestatem sic complectitur , ut omnia , quæ sine ea sint , longe & retro ponenda censeat . Reliqui habere se videntur angustiis : enatant tamen : Epicurus , Hieronymus , & si qui sunt , qui disertum ³⁵ illum Carnea-

Tom. II.

³⁴ Nec eam minimis blandimentis corrupta deferat . Ita quidem librarii : sed nunquam mihi persuadebunt sic a Tullio profectum est . Quid enim si non minimis , sed maximis & potentissimis blandimentis tentetur ? an tum deferat ? Quid autem ? an foliis blanditiis apud Phalaridis taurum res agitur : minili ibi minarum , nihil terroris ? Vides jam , opinor , vulgariter lectionis pravitatem , Tu lego meo periculo , Nec eam minimis , aut blandimentis corrupta deferat . Bentlejus .

³⁵ Qui disertum illum Carneadem carent defendere : nemo est enim , qui eorum bonorum animorum non poterit indicem , eunque condescensat , ut ea , que bona misera videantur , possit contemnere . Non placet illud disertum . Esto enim disertissimum , ut fane fuit : indecenter tamē sic nunc appellatur . Qui enim disertus est , non opus habet de-

ſenſore . Codices plerique apud Gebhardum deferuntur habent . Reſtissime , ut & Gruteri vīſum est . Diferto enim & derelicto , illi profeſto opus eft advocate & patrono . Ideo autem Carneades deferuntur , quia is nova Academia princeps habuit ſectatores : cuius tamen diſcipulam Cicero ipſe apud Latinos iſtaurabat . Noster de Nat. Deor. I.

³⁶ Multis etiam ſenſi mirabile videri , can nobis poffimmo probatam eft philosophiam , que lucem eriperet , & quæ mētē quādā rebus oſſenderet ; deferatque diſciplina ac ſan- pridem relata patrocinium nec opinatus a nobis eft ſuceptum . Quibus hac obſcientibus ita rēſpondit cap. 5. Nec vero deferuntur relatarumque verum patrocinium ſucepti- mus . Hec enim in philoſophia ratio profeta & Socrate , reperiſta ab Arcelſla , conformata a Carneade , uſque ad noſtrā viguit etatē ; quam

dem carent defendere. Nemo³⁶ est enim, quin eorum bonorum animum putet esse judicem, eumque condescusat, ut ea, quae bona malave videantur, possit contempnere. Nam quae tibi Epicuri videtur, eadem erit Hietonymi & Carneades causa, & hercle omnium reliquorum.

Quis enim parum est contra mortem aut dolorem paratus? Ordiamur ab eo, si placet, quem mollem, quem voluptarium dicimus. Quid? is tibi mortemne videtur, an dolorem timere? qui eum diem, quo moritur, beatum appellat, maxime doloribus³⁷ affectus, eos ipsos inventorum suorum memoria

quam nunc propinquum orbam esse in ipsa Grecia intelligo: quod non Academie visio, sed tardissime bonum arbitror contingere. Hoc primum: nam & refutat alterum, quod & vero proprius, & huic rei accommodatus. Deseritur igitur accipe, ob sententiam de summo bono, quam is primus introduxit, & post eum nemo est secutus. Sumnum bonum esse, frui iis rebus quas prius natura conciliaverit. Vide Academ. IV. Huic, inquam, sententia nemo ab ejus obitu patrocinatus est. Unde Nofer de Finib. IV. 18, loco hujus similissimo, Quid confesce effi-
deris, qui omnino viratum a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illorum etiam, si Carneadeum finem tueri volest? Et II. 12. Rejicitur etiam Carneades; nec alia de summo bono ratio, aut voluntatis, non dolens participes, aut honestatis expes probabitur. Sed pergamus iam ad reliqua. Tu ex opino tuo exemplari non inferius: sententia enim negativum exigit. Illud tamen meo quidem iudicio, ab interpolatore nisi sagacioris profectum est: qui quod sententia deesse viderat, de suo impertivit. Ergo placet Lambini conjectura quin, quod & idem efficit, & ad ceteros codices propius accedit. Adhuc tamen haec: quid enim fibi vult eternum bonorum? Quenam ea sunt, obsecro? non enim dicit. Lega vero totum locum: Nemo est enim, quin verorum bonorum animum putet esse judicem; eumque condescusat, ut ea, quae bona malave videantur, possit contempnere. Vides jam clarum oppositionem fieri inter vers bona, & quae bona videantur: quam si tollas, & etiam cum vulgo legas; nihil crudius, laxis, dilutiis dici potest, quam illud contempnere que bona videantur. Idem.

pro-

³⁶ Nemo est enim, qui eorum bonorum animum putet esse judicem] Hec ita laudat Nonius in condescusat, & ita dant vulgat. Sed illius & codicis autoritas non facit, ut mendosa non esse credam, cum rei, quam vult Cicero, plane repugnat. Si enim bonorum animum non putamus esse judicem; cur eum, queso, ea, quae bona malave videantur, docent contempnere? Id videtur Lambinus, adeoque legit, quin eorum bonorum. Cl. autem Bentlejus reponit quin verorum bonorum. Ego sane totum locum sic refutandum puto, nemo est enim eorum, qui bonorum animum non potest esse judicem. Particulare negantem suppedimentum Eliensis fecit. Leven vero illam transpositionem fecit, conjectura freti, ea tamen, quam, nisi fal-
lor, Tullii mens efflagitat. *Daturus.*

³⁷ Maximisque doloribus affectus, eos ipsos inventorum suorum memoria & recordatione confusat] Vix dubito quin & tibi & ceteris editoribus durius illud vobis sit, confutare do-
lores: fed cum emendatio non succurreret, si lenio transmiserim est. Scio eidem hoc defensores suos habitarum, qui omnia recta prava, quae in codicibus feruntur, albo cal-
culo comprobare solent: sed cuius indoles & sapor Ciceroniani sermonis cognitus est, hoc ab illius manu esse non nisi invitustissimum fabebitur. Videamus Gracia Epicuri, ad qua-
huc alludit: Καὶ περιπέτερον τάτιον τῷ αὐτῷ φύσει χρεῖσθαι τὸ τέλος γενόντος καὶ διαχρονίου πάρα. Quid autem est ἀπε-
ριπέτερον? an confutare? nihil minus. Quid ergo est? nempe id ipsum, quod pro vera luigi loci emendatione subfinito, Eos ipsos inventorum suorum memoria & recordatione compensat. Ita Nofer de Finib. II. 30. ubi Gracia ista Epicuri verbum de verbo vertere

moria & recordatione confusat: nec haec sic agit, ut ex tempore quasi effluisse videatur. De morte enim ita sentit, ut, dissoluto animante, sensum extinctum putet: quod autem sensu careat, nihil ad nos id judicet pertinere. Idem de dolore certa habet, quae sequatur: cuius magnitudinem³⁸ brevitate confortatur, longinquitatem³⁹ lenitatem. Quid tandem? isti grandiloqui contra haec duo, quae maxime angunt, melius se habent quam Epicurus? An ad catera, quae mala putantur, non & Epicurus & reliqui philosophi satis parati videntur? Quis non paupertatem extimescit? * neque tamen quisquam philosophorum.

XXXII. Hic vero ipse quam parvo est contentus? nemo de teniu' vietu' plura dixit. Etenim quae res pecuniae cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidiani sumptibus copia sufficiunt: cum procul ab iis omnibus rebus absit, cur pecuniā magnopere desideret, vel potius curer omnino? An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniā ducere: nostrates philosophi facere non poterunt? Illius epistola fertur his verbis, ANACHARSIS HANNONI SALUTEM. *Mibi amictū est Scythicū⁴⁰ tegmen: calciamentum, solorum callum: cubile, terra: pulmentum, fames: latte⁴¹, caseo, carne vescor.* Quare ut ad quietum me licet venias. *Munera autem ista, qui-*

Q q q z bus

profiteret: Compensabatur, ramen, inquit, eum hic omnis animi latitia, quam capiebam memoria rationum inventorum nostrorum.

Et mox ibidem: Compensabatur, inquit, cum summis doloribus latitia. Et iterum: Rationes tuas te video compensare cum istis doloribus. Quid jam videtur? Librarius oscitantibus, an ipsi Ciceroni potior erit fidis? Porro ejusdem verbi frequens apud hunc usus est, in simili sententia: ut Fin. V. 18. Et cum maximis curis & laboribus compensare eam, quam ex dispendio capiant, voluntatem. De Nat. Deor. I. 9. Illa, multa sunt incommoda in vita, ut et sapientes commendavunt compensatione lenient. De Orat. III.

4. Ex summi labores nostri magna compensati gloria mitizantur. De Senect. cap. 2, Resiliendum sanctum est, eiusque vita diligenter compensanda sum. Et saepe alibi. Bentlejus.

³⁸ Cuius magnitudinem] Sic Bentlejus. Vulgo, quorum.

³⁹ Longinquitatem lenitatem] Pocies (cum Man. & Lamb.) levitatem: sic enim Cicero folet loqui. De Finib. I. 12, dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis folet esse. Ibid. II. 7. Si gravis, brevis; si longus, levis; & alibi sapientissime. *Pearcius.*

* Lamb. neque tamen nos quisquam
40 Scythicū tegmen] De Scythis Justi-
nus, Histor. II. 2. *Lane* illi usus ac velium
ignorat... *Pellitus* scimus aut inservit uti-
tur. Quod ultimum nunc quoque Tartaris,
qui ad Orientem incolunt. *Hesychius*, Ex-
zubizet, *huius* *Zwicki*; *Baber*.

⁴¹ Latte, caseo, pane vescor] Herodorus de Anacharsis popularibus, IV. 46. *Q*uartus re p̄d̄ d̄p̄, 2nd d̄p̄ x̄n̄s. Sic enim legendum ex codicibus Mt. Non pane vescan-
tes, sed ex pecoribus. Idem.

bus es delectatus , vel civibus tuis , vel diis immortalibus dona . Omnes fere philophi omnium disciplinarum , nisi quos a re-cta ratione natura vitiosa detorsisset , hoc eodem animo esse potuerunt .

Socrates , in pompa cum magna vis auri argenteique ferretur , *Quam multa non desidero !* inquit . Xenocrates , cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent , quæ erat pecunia temporibus illis , Athenis præstans , maxima : abduxit legatos ad cœnam in Academiam : iis apposuit tan-tum , quod satis esset , nullo apparatu . Cum postridie rogarerent eum , cui numerari juberet : *Quid ? vos besterna ,* inquit , *cenula non intellexistis , me pecunia non egero ?* Quos cum trifiores vidisset , xxx minas accepit , ne adspemari regis libe-ralitatem videretur .

At vero Diogenes liberius , ut Cynicus , Alexandro roganti , ut diceret , si quid opus esset , *Nunc quidem paululum ,* inquit , *a sole .* Offecerat videlicet apricanti . Et hic quidem disputare solebat , quanto regem Periarum vita fortunaque superaret . Sibi nihil deeße : illi nihil satis unquam fore . Se ejus voluptates non desiderare , quibus nunquam satiari ille posset : suas eum consequi nullo modo posse .

XXXIII. Vides , credo , ut Epicurus cupiditatum genera di-
viserit , non nimis fortasse subtiliter , utiliter tamen : partim esse naturales , & necessarias : partim naturales , & non neces-sarias : partim neutrum . Necessarias satiari posse pæne nihilo : dicitas enim natura parabiles esse . Secundum autem genus cupiditatum , nec ad potiendum difficile esse censet , nec vero ad carendum . Tertias , quod essent plane inanæ , neque ne-cessitatem modo , sed ne naturam quidem attingerent , fundi-tus ejiciendas putavit .

Hoc loco multa ab Epicureis disputantur , eaque voluptates singillatim extenuantur : quarum ⁴² genera non contemnunt : querunt tamen copiam . Nam & obsecnas voluntates , de qui-
bus multa ab illis habetur oratio , faciles , communes , in me-
dio

⁴² Quarum genera non contemnunt , querunt tamen copiam .] Vitiosa sine dubio o-
ratio . Quorū enim illud tamq[ue] : cum in-
ter non contemnere & querere nulla sit oppo-
sitio . Lege , aut , Non querunt tamen co-
piam , aut , spernunt tamen copiam . Bent.

dio fitas esse dicunt : easque si natura requirat , non genere , aut loco , aut ordine , sed forma , ætate , figura metiendas purant : ab iisque abstinere minime esse difficile , si aut vale-tudo , aut officium , aut fama postulet : omninoque genus hoc voluptatum optabile esse , si non obfit ; prodeesse nunquam . Totumque hoc de voluptate sic ille præcepit , ut voluptatem ipsam per se , quia voluptas sit , semper optandam expeten-damque putet : eademque ratione dolorem ob id ipsum , quia dolor sit , semper esse fugiendum . Itaque hac uirum com-pensatione sapientem , ut voluptatem fugiat , si ea majorem dolorem effectura sit : & dolorem suscipiat , majorem effi-cientem voluptatem ; omniaque jucunda quanquam sensu corporis judicentur , ad animum referri tamen . Quocirca corpus gau-dere tamdiu , dum præsentem sentiret voluptatem : animum & præsentem percipere pariter cum corpore ; & prospicere ve-nientem , nec præteritam praterflere sinere . Ita perpetuas & contextas voluptates in sapiente fore semper , cum exspecta-tionē speratarum voluptatum , perceptarum memoria jungere-tur . Atque iis similia ad victum etiam transferuntur , exte-nuanturque magnificent & sumptus epularum , quod parvo cultu natura contenta fit .

XXXIV. Etenim quis hoc non videt , desideris ista condiri omnia ? Darius in fuga , cum aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibisset , negavit unquam se bibisse jucundius . Nunquam videlicet sitiens biberat . Nec esuriens Ptolemaeus e-derat : cui cum peragranti Ægyptum , comitibus non conse-cutis , cibarius in cafa panis datus esset , nihil visum est illo pane jucundius . Socratem ferunt , cum usque ad vesperum contentius ambularet , quæstumque esset ex eo , quare id fa-ceret : respondisse , se , quo melius cenaret , oponare ambu-lando famem . Quid ? victum Lacedæmoniorum in phiditiis ⁴³ nonne videmus ? ubi cum tyrannus cenavisset Dionysius , ne-

gavit

⁴³ In Phiditiis] Si quidem Philitis ha-auctores laudat non paucos , qui convivia
benter plierique manu exarati codices , in ill-hac Lacedæmoniorum vocarunt φιδίας , &
que Regius & Lugdunensis duo , mea verus
hoc nomen a φιδίᾳ ductum putaverunt . Ad-
ditione poterat compotiorum Etymologici
da fuerat ea vox , non temere extrudenda . Magni verbo 2000/ies Bubierius .
Et vero Joan. Meurinus , Mist. Lacon . I . 4 ,

494 gavit se jure illo nigro, quod cœna caput erat, delestatum. Tum is, qui illa coxerat: *Minime mirum, condimenta enim defuerunt.* Quæ tandem? inquit ille. *Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota*⁴⁴, *fames, sitis.* His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Atque hoc non ex hominum more solum, sed etiam ex bestiis intelligi potest, quæ, ut quidquid objectum est, quod modo natura non sit alienum, eo contentæ non quærunt amplius. Civitates quædam universæ, more doctæ, parsimonia delectantur, ut de Lacedæmoniis paucis ante diximus. Persarum a Xenophonte vietus exponitur; quos negat ad panem adhibere quidquam, præter nauturium. Quanquam, si quædam etiam suaviora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque gignuntur cum copia facilis, tum suavitatem præstanti? Addit facitatem, quæ consequitur hanc continentiam in vieti. Addit integratatem valetudinis. Confer fudentes, rustantes, refertos epulis, tanquam opimos boves: tum intelliges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi; jucunditatemque vietus esse in desiderio, non in satietate.

XXXV. Timotheum, clarum hominem Athenis & principem civitatis, ferunt, cum cœnavisset apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse: *Vestrie quidem cœnæ non solum in presentia, sed etiam postero die jucunda sunt.* Quid, quod ne mente quidem recte uti possumus, multo cibo & potionē completi? Est præclara epistola Platonis ad Dionis propinquos: in qua scriptum est his fere verbis: „Quo cum venissim, vita illa beata, quæ „ferebatur, plena Italicarum Syracusiarumque mensarum, „nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri, nec „unquam pernoctare solum: ceteraque quæ comitantur huic „vitæ, in qua sapiens nemo efficietur unquam, moderatus „vero multo minus. Quæ enim natura tam mirabiliter tem- „perari potest?

Quo modo igitur jucunda vita potest esse, a qua absit pru-

den-

⁴⁴ *Cursus ad Eurotam J. Vulgo ab Euro-* Vide Chr. Cellarium Geogr. lib. II. cap. 13.
ta. Sed recte doctissimus Bentlejus: Eustathius Davisius.
enim sub ipsis prope Spartæ moenibus fluit.

dentia? absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriae regis error agnoscitur, qui incidi justit in busto:

Hec habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido

Hausit: at illa jacent multa & præclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quam fruebatur.

Cur igitur⁴⁵ divitiae desiderentur? aut ubi paupertas beatos esse non finit? Signis, credo, tabulis, ludis. Si quis est, qui his delectatur, nonne melius tenues homines fruuntur, quam illi, qui his abundant? Est enim earum omnium rerum nostra in urbe summa in publico copia. Quæ qui privati habent, nec tam multa & raro vident, cum in sua rura venerunt: quos tamen pungit aliquid, cum illa unde haebant, recordantur. Dies me deficiet, si velim paupertatis causam defendere. Aperta enim res est, & quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus.

XXXVI. Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popu-

⁴⁵ Cur igitur divitiae desiderentur? aut ubi paupertas beatos esse non finit? Signis, credo, tabulis, ludis. Si quis est, qui his delectatur, nonne melius tenues homines fruuntur, quam illi, qui his abundant? Est enim earum omnium rerum nostra in urbe summa in publico copia: que qui privati habent, nec tam multa & raro vident, cum in sua rura venerunt: quos tamen pungit aliquid, cum illa unde haebant, recordantur. [T]otum hunc locum necesse erat describere, ut facilius intelligi posset, quid velim. Vide igitur illud *ludis* & quam male ei conveniat cum sequentibus, perfice. Quæ, inquit, qui priuati habent: an habere ludos Latine dicunt? an priuati autem domi ludos infinituebant? Sequitur mox, *Et raro vident, cum in sua rura venerunt:* hoc signis & tabulis bene convenit, que in villis suis habebat Romani proceri confuserant: *Iudicis vero minime.* Ut & illud denique pungit aliquid: ob peculatum feliciter & sacrilegum a se admisum: plerisque enim signis illa & tabulis e Græcis urbibus templique rapina aut furto ablata erant; de qua re consule actio-

nes in Verrem. Sed quid hoc, obfero, ad ludos pertinet? Vides jam, opinor, lectio- nis recepta pravitatem. Tu lege non ita magna mutatione; & enim & d in veteri libro scriptis saepè confunduntur; Signis, credo, & tabulis piliis. Sic loqui solebant boni scriptores: Horatius epist. I. 2. Ut lippum pilis tabula & fontana pedagrum, Serm. 4. 1. Cogitis aut piliis tanquam gradire tabellis. Epist. II. 1. Suspendit pista voltum mentemque tabella. Cicero ipse, de Nat. Deor. II. 31. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pistam cum adspexeris, scire adhibitam esse auctam. & III. 37. Nonne enim animadverteris ex tot tabulis pictis, quam multa votis vim temporalis effigerint? Pro Roscio Amerino cap. 46. Quid præterea celati argenti? quid strigulae velis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum patatis esse? Postquam hæc scripsiteram, sero hoc animadversi apud Lambinum: *Quidam,* inquit, *tabulis piliis, deles voce ludis: & quibus diffuso.* Itane vero, vir optime? Nolle factum. Sed alii tuis recte factis hoc erratum pensabitur. Bentlejus.

popularis offendit, sapientem beatum esse prohibebit? Vide, ne plus commendatio in vulgus, & hæc, quæ expetitur, gloria molestiæ habeat, quam voluptatis. Leviculus fane noster Demosthenes, qui illo sifurro delectari se dicebat aquam fermentis mulierculæ, ut mos in Græcia est, insuffrancisque alteri: *Hic est ille Demosthenes.* Quid hoc levius? At quantus orator? Sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipse secum.

Intelligendum est igitur, nec gloriam popularem ipsam per se expetendam, nec ignobilitatem extimescendam. *Veni Athenæ,* inquit Democritus, *neque me quisquam ibi agnovit.* Constatem hominem & gravem! qui gloriatur, a gloria se abfuisse. An tibicines, iisque, qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis arbitrio, cantus numerosque moderantur: vir sapiens, multo arte majore præditus, non quid verissimum sit, sed quid velit vulgus, exquireret? An quidquam stultius, quam, quos singulos, sicut operarios barbarofoque contemnas, eos aliquid putare esse universos? Ille vero nostras ambitiones levitatesque contemnet, honoresque populi, etiam ultro delatos, repudiabit: nos autem eos nefscimus, antequam pœnitere cœpit, contempnere.

Est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro. Universos ait Ephesios esse morte multandos, quod, cum civitate expellerent Hermorum, ita locuti sunt: *Nemo de nobis unus excellat: sin quis existiterit, alio in loco & apud alios sit.* An hoc non ita fit omni in populo? Nonne omnem exsuperantium virtutis oderunt? Quid? Aristides (malo enim Gracorum, quam nostra proferre) nonne ob eam causam expulsus est patria, quod præter modum justus esset? Quantis igitur molestiæ vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? Quid est enim dulcius otio literato? Iis dico literis, quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipso mundo cælum, terras, maria cognoscimus.

XXXVII. Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia, quid relinquitur, quod extimescendum sit? Exilium, credo: quod in maximis malis ducitur. Id si propter alienam &

offens-

offensam populi voluntatem malum est: quam sit ea contenenda, paulo ante dictum est. Sin abesse a patria miserum est: plena misericordia provinciæ sunt; ex quibus admodum pauci in patriam revertuntur. At multantur bonis exiles. Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate dicuntur? Jam vero exilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quærimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt? in qua atates suas philosophi nobilissimi confundimperunt, Xenocrates, Crantor, Arcelias, Lacydes, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panætius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, innumerabiles alii: qui, semel egressi, nunquam domum reverterunt.

At enim non erit fine ignominia. Ignominia afficere poterit sapientem? De sapiente enim hæc omnis oratio est; cui jure id accidere non possit: nam jure exulanter consolari non poterit.

Postremo ad omnes casus facilissima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, que sequuntur in vita, ut, quocumque hæc loco suppedent, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest,

Patria est, ubicumque est bene.

Socrates quidem cum rogaretur, cujatem se esse diceret, *Mundanum*, inquit. Totius enim mundi se incolam & civem arbitrabatur. Quid T. Albucus? nonne animo æquissimo Athenis exul philosophabatur? Qui tamen illud ipsum non accidisset, si in republica quiescens Epicuri legibus paruisset. Qui enim beator Epicurus, quod in patria vivebat, quam quod Athenis Metrodorus? Aut Plato Xenocratem vincebat, aut Polemo Arcesilam, quo esset beator? Quanti vero ista civitas æstimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur? Dematus quidem Tarquinii, regis nostri, pater, tyrannum Cyprænum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho, & ibi suas fortunas constituit, ac liberos procreavit. Num stulte anteposuit exilii libertatem domestica servituti?

XXXVIII. Jam vero motus animi, sollicitudines, ægritudi-
Tom. II. R r r nefque

nesque obliuione leniuntur, traductis animis ad voluptatem. Non sine causa igitur Epicurus ausus est dicere, semper in pluribus bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod querimus, ut sapiens semper beatus sit. Etiame, si sensibus carebit oculorum, si aurium? Etiame. Nam ista ipsa contemnit. Primum enim, horribilis ista cæcitas quibus tandem caret voluptatibus? Cum quidam etiam disputerent, cæteras voluptates in ipsis habitare sensibus; quæ autem adspicere percipiuntur, ea non versari in oculorum ulla jucunditate: ut ea, quæ gustemus, olfaciamus, tactemus, audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur; in oculis tale nihil sit. Animus accipit quæ videmus. Animo autem multis modis variisque delectari licet, etiam si non adhibeatur adspicere. Loquor enim de docto homine & erudito, cui vivere est, cogitare. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocates. Etenim si nox non admittit vitam beatam, cur dies nocti similis adimat? Nam illud Antipatri Cyrenaici est quidem paulo obscenius, sed non absurdum sententia est: cujus cæcitatem cum mulierculæ lamentarentur, *Quid agitis?* inquit: *an vobis nulla videtur voluptas esse nocturna?* Appium quidem veterem illum, qui cæcus annos multos fuit, & ex magistratibus & ex rebus gestis intelligimus, in illo suo casu nec privato nec publico muneri defuisse. C. autem Drusi domum completri a consultoribus solitam accepimus: cum, quorum res esset, sua ipse non videbant, cæcum adhibebant ducem.

XXXIX. Pueris nobis Gn. Aufidius prætorius⁴⁶ & in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiam, & videbat⁴⁷ in literis. Diodotus Stoi-

⁴⁶ Prætorius & in senatu sententiam dicebat J. Pighius, in Annalibus, ad ann. U. C. 634. hanc phrasim putat esse murram & excidisse enim vocem cæcus; que quidem ad explanandum fulcendamque sententiam profrus necessaria est. Si enim cæcus non fuit Aufidius, quid mirum est scilicet illum omnia, que Cicero commenarat? cæcitatem in Apio, in Druso, in Diodoto Stoico, non pra-

termissemus; cur omiserit in hoc Aufidio? Legi ergo possum: *Prætorius, cæcus, & in senatu sententiam dicebat.* Baerius.

⁴⁷ Videbat in literis J. Cæcus erat iste Aufidius; & idcirco argutus sibi videbatur quicunque erat librarius, qui primus illud videbat nobis supposuit. Ego vero tam putidum schema non esse Ciceronis continuo agnovi. Alter, ajunt, oleum catuli, alter fues.

Stoicus, cæcus, multos annos domi nostræ vixit. Is vero, quod credibile vix esset, cum in philosophia multo etiam magis assidue quam antea verfaretur, & cum fidibus Pythagoreorum uteatur, cumque ei libri noctes & dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat: ^a tum quod sine oculis fieri posse vix videretur, geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens discentibus, unde, quo, quamque lineam scriberent. Asclepiadæ ferunt, non ignobilem ^b Eretricum philosophum, cum quidam quereret, quid ei cæcitas attulisset, respondisse, *Puero ut uno esset comitator.* Ut enim vel summa paupertas tolerabilis sit, si liceat⁴⁸, quod quibusdam Græcis quotidie: sic cæcitas fieri facile possit, si non desint subsidia valetudinum.

Democritus, luminibus amissis, alba scilicet & atra discernere non poterat: at vero bona, mala; aqua, iniqua; honesta, turpia; utilia, inutilia; magna, parva poterat; & sine varietate colorum licebat vivere beate; sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediti animi etiam aciem adspicere oculorum arbitrabatur: &, cum alii sepe, quod ante pedes esset, non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate confisteret. Traditum est etiam, Homerum cæcum fuisse. At ejus picturam, non poesim, videamus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species⁴⁹ formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, ut, quæ ipse non viderit, nos ut videremus, efficerit? Quid ergo aut Homero ad delectationem animi ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse unquam arbitramur?

Aut, ni ita se res haberet, Anaxagoras, aut hic ipse De-R r r 2 mo-

fues. Et proinde, ubi parumper animum intenderam, sua sponte ensuebat vera & sincera letio, & Græcam scribebat historiam, & vivebat in literis: hoc est, omnem suam etatem in literis consumpsit. Nofer ep. Fam. IX. 26. *Quid ergo facias? te confido, qui philosophum audis.* Angar? excusienne me? quid affectas? deinde quem ad finem? Vivas, inquit, in literis. *An quidquam me aliud agere censes;* aut possem vivere, nisi in literis vivere? sed est earum etiam, non satis, aliud modus. Ibidem XIII. 28.

^a Est enim in eo, cum virtus & probitas & summissu officium summasque observantia, summa studia illæ nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus. Bentl.

a Man. Lamb. tamen

^b Lamb. medicum & philosophum

⁴⁸ Si licet, quod quibusdam Græcis quotidie J. Nimirum mendicare; quæ honesta est ætiorumq[ue] literarum. Dovisius.

⁴⁹ Quæ species formæ, quæ pugna J. Davifini ex Ms. Gebhardianis quæ species, farmaque pugna.

mocritus, agros & patrimonia sua reliquisti? huic discendi quærendique divinae delectationi toto se animo deditissim? Itaque augurem Tiresiam, quem sapientem singunt poeta, nuncquam inducunt deplorantem cæcitatem suam: at vero Polyphemum⁵⁰ Homerus cum immanem ferumque finxit, cum ariete etiam colloquenterem facit, ejusque laudare fortunas, quod, qua vellet, ingredi posset, &, qua vellet, attingere. Repte hic quidem: nihil enim erat ipse Cyclops, quam aries ille, prudentior.

XL. In surditate vero quidnam est mali? Erat surda ster M. Crassus: sed aliud molestius, quod male audiebat; etiam si, ut mihi videbatur, injuria. Epicurei nostri Græce fere nesciunt, nec Græci Latine. Ergo hi in illorum, & illi in horum sermone surdi: omnesque⁵¹ id nos in iis linguis, quas non intelligimus, qua sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. At vocem citharædi non audiunt: ne stridorem quidem ferræ tum, cum acuitur: aut grunnum, cum jugulatur, suis: nec, cum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris. Et, si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes. Deinde multo majorem percipi posse legendis his, quam audiendis, volupratem.

Tum, ut paulo ante cæcos ad aurium traducebamus volupratem, sic licet surdos ad oculorum. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret. Congenerantur in unum omnia, ut idem oculis & auribus captus sit: prematur etiam

⁵⁰ Polyphemum Homerus cum ariete etiam colloquenterem facit, ejusque laudare fortunas, quod qua vellet ingredi posset, & qua vellet attingere.] Repte animadversus apud Homericum hoc non haberi: ergo aut finxit id Cicero, aut ex tragico quadam sumpsisse videtur. Sed postrema illa qua vellet attingere languida fuit & inanis. Quidam apud Lambinum adspicere reponebant: verum hoc adhuc detersum. Omnes fere Gebhardi codices quem preferunt; non qua. Unde suspicor legendum esse, & in quem vellet arietare. Convenit profecto hoc Cyclopis immanitati. Accius apud Nostrum de Divin. I. 22. Duos

consanguineos arietes inde eligi. Deinde ejus germanum cornibus constituerit in me arietare, eoque illu me ad casum dari. Vel proprius etiam possit, & quem vellet arietare: ut Plautus in Tricentio II. 2. Quis illis est, qui tam proterve nostras ades arietes? Nisi forte & hic legendum sit, proterve in nafiras &c. Bentiviglio.

⁵¹ Omnesque id nos.] Manutius, & Lambinus reponebant, Omnesque item nos &c. Pronomos id omnino delet Davilius. Tuetur autem Wopkenius, quem vide Tullian. Lelli. I. 21.

etiam doloribus acerrimis corporis: qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem: sin forte longinquitate produceti vehementius tamen torquent, quam ut causa sit, cur fermentur: quid est tandem, dii boni! quod laboremus? Portus enim praefato est, quoniam mors ibidem est, aeternum nihil sentienti receptaculum. Theodus Lysimacho mortem minitanti: *Magnum vero, inquit, efficiisti, si cantharidis vim conjectus es.* Paulus Perse deprecanti, ne in triumpho duceretur, *In tua id quidem potestate est.* Multa primo die, cum de ipsa morte quereremus: non pauca etiam postero, cum ageatur de dolore, sunt dicta de morte: qua qui recordetur, haud sane periculum est, ne non mortem aut optandam, aut certe non timendam putet.

XLI. Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur; Aut bibat, inquit, aut abeat. Et recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi: aut, ne sobrius in violentiam violentorum incidat, ante dilcedat: sic injurias fortunæ, quas ferre nequas, defugiendo relinquas. Hæc eadem, quæ Epicurus, toridem verbis dicit & Hieronymus. Quod si ii philosophi, quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat: omneque quod honestum nos & laudabile esse dicimus, id illi cassum quiddam &^a inani vocis sono decoratum effe dicant: & tamen semper beatum censem sapientem: quid tandem a Socrate &^b Platone profectis philosophis faciendum putes? Quorum alii tantam præstantiam in bonis animi esse dicunt, ut ab his corporis & externa obscurerentur. Alii autem hac ne bona quidem ducunt: in animo reponunt omnia. Quorum controversiam solebat tanquam honorarius arbiter jicare Carneades. Nam cum, quacunque bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda viderentur: neque tamen Peripatetici plus tribuerent dicitis, bona valetudini, ceteris rebus generis ejusdem, quam Stoici: cum ea re, non verbis ponderarentur; causam esse dissidendi negabat. Quare hunc locum cæterarum disciplinarum philosophi quemadmodum obtinere posint,

^a Man. Lamb. inanis

^b Idem. Platone, perfectisque philosophis

sint, ipsi viderint. Mihi tamen gratum est, quod de sapientia perpetua bene vivendi facultate dignum quiddam philosophorum voce profitentur.

Sed quoniam mane est eundum, has quinque dierum disputationes memoria comprehendamus. Evidem me etiam conscripturum arbitror: ubi enim melius uti possumus hoc, cui cuimodi est, otio? ad Brutumque nostrum hos libros alteros quinque muttemus: a quo non modo impulsi sumus ad philosophicas scriptiones, verum etiam lacefissi. In quo quantum ceteris profuturi sumus, non facile dixerimus: nostris quidem acerbissimis doloribus, variisque, & undique circumfusis molestiis, alia nulla potuit inveniri levatio.



DE

DE

N A T U R A D E O R U M ,

A D M . B R U T U M ,

L I B E R P R I M U S .

A R G U M E N T U M .

Totus hic liber trifariam dispertitur: Parte prima, ad caput usque 8, Cicero nonnulla premitir, quibus roti operi veluti prolixit. Parte secunda, que capite 20 clauditur, Vellejus Epicureus philosophus, rejectis aliorum philosophorum opinionibus, Epicuri de Dea placita in medium afferit, & magnifice commendat. Tertia denique parte, que reliquo libro continetur, totam Epicuri de Deorum natura doctrinam a Vellejo expostam Cotta ex Academia philosophus evertit. PETRUS LESCALOPERIUS.

I. **U**M multæ res in philosophia nequaquam satiis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis, Brute, (quod tu minime ignoras) & perobscura quæstio est de natura deorum: qua & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes

Tom. II.

r. Ad agnitionem animi] Questionem de natura deorum, quam ait Cicero ad agnitionem animi esse pulcherrimam, cognitu praeclarum interpretor: est enim hoc loco agnitionis animi, non qua cognoscitur animus, sed qua ipse divinam naturam agnoscit, Lefsaloper. Senfus paulo obscurior videri possit: non propter eum paucis explicabo. Cum multi philosophi usentem divinam esse censuerint; sit Tullius, hanc disputationem animo cognoscendo fore utilem; quod, indagata deorum

natura, simul elucesceret mentis humana ratio. Vide Tusc. I. 26. 27. Similiter Varto apud Augustin. C. D. viii. 15. Hinc liquet qui agnitionem animi rescriberat, ut docet etiam Adr. Turnebus Adverf. xiv. 14. Daviſius. Doudum præquam Daviſiana legerem, in ea fencientia eram, agnitionem animi illam esse, qua cognoscitur animus, non qua cognoscit. Qui sic intelligunt, quare dicat Cicero eam questionem esse cognitum pulcherrimam,